



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titvlvs XXVIII. De Officio Vicarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

custodiendæ ita tamen ut sacristano subât, ejusque
mandatum quoad custodiam rerum sacrarum ex-
spectet. Officium ejus non ex Jure, sed consuetudi-
ne potius Ecclesiarum est desumendum, quæ ob-
tinuit, quod in quibusdâ ecclesiis nomine Custodis
veniat sacrista & thesaurarius. Verum spectato ju-
re communi ad officium ejus pertinet, Sacerdotibus
celebrare volentibus ornamenta sive vestimenta pa-
rare, panem & vinum ad sacrificium missæ cele-
brandum paratum habere; ad horas canonicas
tempore statuto cantandas, signum dare, oblatio-
nes sive elemosynas, & decimas inter canonicos di-
videre. *cap. 1. & 2. h. t.* Singulariter autem notan-
dum est id quod *cap. 2. h. t.* monet *Toletanum Con-*
cilium, Archidiaconum, Archipresbyterum & cu-
stodem esse tres columnas quibus ecclesia nititur;
qui proinde utpotè officiiati. licet reliqui clerici
inter se dissideant, perpetuâ deberent esse, sine ul-
lâ invidiâ, charitate conjuncti.

TITVLVS XXVIII.

De

Officio Vicarii.

QUÆRES 1. Quid sit Vicarius? Respond.
Nomen Vicarii sumitur dupliciter. 1. Ge-
neraliter, & sic comprehendit omnes, qui
vices alterius in re quapiam gerunt, sive vicarii
ecclesiastici fuerint, sive sæculares; cum constet,
etiam judices sæculares in causis civilibus cogno-
scendis & definiendis, posse habere vicarios, ut
patet ex *tit. cod. de offic. vicarii.* 2. Sumitur

H 4

speci.

specificè ad rubricam & sensum hujus tituli; & hoc sensu definitur Vicarius, *persona ecclesiastica munus alterius in ecclesiâ, vel re spirituali, nomine & vice alterius gerens.*

QUÆRES 2. Quotuplices sint Vicarii? Respond. Triplex est eorum differentia, quæ ex personis constituentibus desumitur. Alii enim sunt Vicarii Pontificis, alii Episcoporum, alii inferiorum beneficiatorum, qui ultimi vicarii in divinis nuncupantur Vicarii Episcoporum, vel gerunt eorum vices in iis quæ concernunt exercitium ordinis, & vocantur vicarii in Pontificalibus; vel quæ concernunt Exercitium Jurisdictionis contentiosæ, & vocantur vicarii in spiritualibus; qui vel sunt generales, de quibus potissimum agit præsens titulus, vel particulares, qui commissarii vocantur. Vicarii in divinis vel sunt perpetui vel temporales tantum. Perpetui sunt, qui in aliquâ ecclesiâ assignatâ sibi certâ portione proventuum ecclesiasticorum, canonicè instituuntur, ita ut extra casus in jure expressos, non queant removeri, & talis vicaria est verum beneficium ecclesiasticum. *c. 3. h. t.* Temporales dicuntur, qui propter infirmitatem, absentiam, vel aliud justum impedimentum, sine canonicâ institutione ad gerendas alterius vices assumuntur, pro libitu assumentis removendi. *cap. 28. de appellat. Vallens. h. t. § 1 num. 1 & 2.* Quæ Vicaria non est verum beneficium, cum non habeat jus perpetuum, quod tamen ad beneficium ecclesiasticum requiritur, uti *lib. 3.* dicemus. Tales Vicarii temporales, sunt capellani & cooperatores parochorum propriè dicti, qui Jurisdictionem habent à Parochis suis delegatam, audiendi confessiones & Sacra-

Sacramenta administrandi, qui propterea hanc jurisdictionem subdelegare nequeunt; Cum ceteri Vicarii eandem subdelegare possint, utpotè habentes jurisdictionem quasi ordinariam, licet ab ordinariâ dependentem & eidem quasi subordinatam. *Pirrb. h. t. num. 23. § 24.*

QUÆRES 3. An cuius liceat vicarium in divinis allumere? R. Vicarium temporalem in quibusvis beneficiis, curatis & non curatis constituere licet cuilibet; perpetui autem in beneficiis curatis uno solo casu conceduntur, quando scilicet Parochia dignitati præbendæ, vel monasterio annexa est. *Clem. un. h. t. cap. 10. § 30. de præbend. Trid. sess. 7. cap. 6. § 7. § sess. 25. cap. 16. de reform.* Vicarius tamen aliud vicarium substituere nequit cum censeatur electa personæ industria, nisi fiat de consensu superioris.

QUÆRES 4. Quid sit Jurisdictio & quoduplex? Respond. Jurisdictio definitur *potestas publica, cum necessitate Juris dicendi & æquitatis statuende.* Id est, potestas non privatâ, sed publicâ auctoritate competens, quæ obligat judicem, ut partibus litigantibus justitiam administret, & controversias inter partes litigantes exortas, judicialiter dirimat, & quod æquum est statuât. Hæc est duplex ordinaria & delegata. ordinaria est, quæ exercetur nomine proprio, id est, vi officii quod quis habet. *l. 5. ff. de Jurisdic. delegata est quæ excerceatur non vi officii, sed nomine & Jussu alterius, unde & mandata dicitur. l. 1. §. fin. & l. 3. ff. de eo cui mand. est Jurisd. et. l. 6. ff. b. t.*

QUÆRES 5. An Vicarius generalis sit iudex ordinarius an delegatus? Respond. Est ordinarius, & Jurisdictionem ordinariam habet,

H 5

quæ

quæ est sententia communis & conformis SS. Canonibus licet Alziatus, Sotus, & multi alij falsis persuasi rationibus contrarium teneant. Probatur nostra assertio. Una est eademque Jurisdictio Episcopi, & Vicarii generalis, idemque tribunal & consistorium. *cap. 3. de appell. in 6. cap. 2. de consuetud. in 6.* Sed Jurisdictio Episcopi est ordinaria *cap. 7. de off. ordin. in 6.* ergo & Jurisdictio Vicarii

OBIECTIO 1. Vicarius generalis gerit vices Episcopi à quo constituitur & nominatur. Sed qui vices alterius gerit habet Jurisdictionem tantum delegatam, cum nil proprium habeat, sed delegatam Jurisdictione uti credatur. *l. 1. §. 1. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd.* Ergo Vicarius generalis non habet nisi jurisdictionem delegatam. Resp. Distinguo majorem, gerit vices Episcopi ratione proprii officii cui est annexa Jurisdictio, Concedo, Iussu & nomine alieno Nego Majorem; Sed qui vices gerit alterius habet Jurisdictionem delegatam, disting. min. si vices gerat præcisè nomine & mandato alterius, Conc. si vices gerat vi proprii officii cui est annexa Jurisdictio Nego Min. & Conseq. sic legatus Pontificis gerit vices illius. *cap. 1. de offic. legati.* & tamen habet Jurisdictionem ordinariam. *cap. 2. eod. in 6.*

OBIECTIO 2. Ille solus est iudex ordinarius, qui à Pontifice vel Imperatore legitimam potestatem accepit. *can. à Iudicibus. 33. caus. 2. q. 6.* Talis non est vicarius generalis cum potestatem suam habeat ab episcopo; ergo non erit iudex ordinarius. Resp. N. Majorem. Nam canon allegatus loquitur exemplificativè, non autem excludit alios, qui quidem aliundè quàm à Pontifice vel Imperatore

tore potestatem acceperunt, iudices tamen ordinarii sunt.

OBJICIES 3. Illa sola est Iurisdictio ordinaria, quæ descendit à lege vel canone. *l. 5. § 6. ff. de iurisdict.* Sed Iurisdictio Vicarii nec descendit à lege, nec à canone sed ab homine tantum; ergo non est ordinaria. Resp. Concessa Majore Nego Minorem. quia episcopus non confert vicario suo generali Iurisditionem, sed solum officium, cui de Jure Iurisdictio annexa est.

OBJICIES 4. Iurisdictio ordinaria debet esse perpetua, nec morte concedentis expirare *cap. 2. de offic. leg. in 6.* talis non est Iurisdictio Vicarii, cum morte concedentis expiret; ergo non est ordinaria. Resp. Disting. Major. Iurisdictio ordinaria, si principalis sit, debet esse perpetua Concedo majorem, si sit accessoria ad Iurisditionem principalem. Nego Majorem; Sed Iurisdictio vicarii non est perpetua dist. min. non est perpetua, est tamen accessoria ad Iurisditionem principalem Concedo, est principalis in se, Nego min. & conseq. Quod igitur Iurisdictio Vicarii mortuo Episcopo expiret, ideo est, quod extinctio principali, cadat etiam accessorium.

OBJICIES 5. Si Vicarius generalis ordinariam habeat Iurisditionem, ergo una eademque Iurisdictio erit penes duos; hoc autem juri naturali repugnat; Ergo. minor probatur. Unius ejusdemque rei possessio & dominium non potest esse penes duos in solidum; *l. 3. §. ex contrario ff. de acquir. possess. l. si, ut certo §. Si duobus ff. commodati. l. 19. ff. de precar.* Ergo neque una eademque Iurisdictio, cum à possessione & dominio argumentum

valeat ad jurisdictionem. l. 20. ff. de stat. hom. Resp. Distinguo maiorem una eademque jurisdictio erit penes duos eodem modo Nego, diverso modo Concedo. Sed repugnat juri naturali unam eandemque jurisdictionem esse penes duos eodem modo concedo, diverso modo nego minorem & conseq. Jurisdictio igitur ordinaria hoc casu est quidem penes duos, sed modo diverso; apud Episcopum principaliter, apud Vicarium generalem accessorie cum in potestate Episcopi sit, vicariū assumere vel non. Ad probationem dico. licet unius ejusdemque rei dominium non possit esse penes duos in solidum eadem ratione, potest tamen esse diversâ ratione, ita ut unus habeat dominium directum, alter autem utile; quemadmodum unus potest habere possessionem unius rei naturalem, alter ejusdem rei possessionem civilem.

QUÆRES 6. Quousque se extendat jurisdictio Vicarii generalis. Respond. Vi hujus jurisdictionis cognoscere potest omnes causas ad jurisdictionem Episcopalem spectantes, causa cognita sententiam ferre, & latam exequi, atque omnia ea agere, quæ ad complementum justitiæ spectant. Non tamen quidquam statuere poterit in his quæ speciale mandatum exigunt, hinc non potest excessus clericorum notabiles punire, delinquentes beneficiis privare, beneficia vacantia conferre, resignationes beneficiorum admittere, beneficia unire, vel suppressere &c. nisi hæc specialiter ei concessa fuerint, quod ex commissionis tenore, aut cujuscunque dioceseos praxi colligetur cap. 2. § 3. h. t.

QUÆRES 7. An Episcopus possit Vicario generali adimere cognitionem causarum mixti fori, quales sunt v. gr. fornicationes simplices? Resp. Negat.

Resp. Negat. Quia harum causarum cognitio competit Vi-
cario generali de Jure communi, hoc ipso quod vi-
carius sit, juri autem communi episcopus derogare
nequit.

QUÆRES 8. An Episcopus possit consti-
tuere plures Vicarios? Respond. Affirmativè, sed
non erunt generales, nec habebunt jurisdictionem
ordinariam, sed delegatam tantum; vocanturque, si
extra civitatem fuerint, foranei, & in Diœcesi Mo-
guntinâ Commissa ii, quorum sunt quatuor videli-
cet Alschaffenburgensis, Fichsfeldensis, Amœne-
burgensis, & Frideslariensis.

QUÆRES 9. Quot modis officium Vi-
carii expiret? Tribus potissimum modis expirat.
1. Morte & renuntiatione tam episcopi, quam
ipsius Vicarii, etiam re non amplius integrâ, ita ut
Vicarius res sive causas vivente episcopo cœptas eo
mortuo aut renuntiante prosequi nequeat, propter
defectum Jurisdictionis. Abb. in *cap. licet de offic. de-
legat. num. 8.* 2. Revocatione, si hæc vicario inti-
mata fuerit, si enim revocationem ignoraverit, ge-
sta per ipsum valebunt, non enim cessat jurisdictio
Judicis, donec certior reddatur de revocatione.
l. 17. ff. de offic. presid. 3. Excommunicatione su-
spensione & interdicto tam Episcopi quam ejus vi-
carii, quia eo cessa eidem jurisdictio omnino su-
spenditur, etiam quoad lites jam cœptas, ita ut ne-
que ij, quos vicarius forsan substituit, in causis sibi
delegatis pergere possint, & si quid egerint, acta
eorum erunt irrita. ut colligitur ex *cap. 1.*

h. t. in 6.

TITU.